

pense et post longam ac maturam considerationem immutasse. Dubiorum et difficiliorum locorum emendationem ubique facere conatus sum; et, sicubi in locis desperatis et conclamatis nullam satis probabilem correctionem reperire potui, aut obelum affixi aut in annotatione locum ut suspectum notavi.

Dictionis stylus Sophocleus non minus quam Aeschyleus admodum peculiaris est, saepe nimis elaboratus et artificiosus, ideoque non raro obscurus, uterque longe ab Euripideo diversus, qui magis ad domesticae vitae sermonem, qualis est Platonis, Xenophontis, et Oratorum, appropinquat, et longe facilior intellectu ideoque minus corruptioni obnoxius est.

Nihil facilius est quam ‘sicco pede,’ ut aiunt, locum corruptum aut difficilem transire, labore nodum solvendi aliis relitto. Cui vero bono est vestigia priorum editorum tanquam pecudes aut oves clausis oculis calcare? Editoris revera nomine digni est difficultates omnes indicare et quantum fieri potest amo vere, ut lectori plana et facilis via ad auctorem intelligendum fiat. Exspectari quidem non potest Sophoclis, poetae obscuri et saepe intellectu admodum difficilis, fabulas unquam ad pristinum nitorem restitui posse, sed in plurimis locis, his praesertim diebus, emendatas eas fuisse constat, ita ut hodie textus poetae longe purior sit quam Brunckii etiamque Hermanni aetate fuit. Nihilominus plurimis vitiis etiam nunc laborare fabulas ejus dubitari non potest. Facilior quidem quaeque emendatio jamdudum facta est, alias quae difficiliores sunt paullatim factum iri sperandum est, nonnulla vitia haud dubie nunquam medelam experientur. In difficilioribus locis plurimum criticorum nomina aliquando memoravi, plerumque solius ejus cuius emendatio est.

Ut ostendam quam multis et altis vitiis poetae nostri textus scaturiat et inquinatus sit, et ad illustrandam emendandi rationem quam ipse sequi soleo, exempla aliquot apponam. Ex emendationibus praecipue commemoratione dignis imprimis notari meretur egregia ista Mekleri in O. C. 547. *zai γὰρ ἀν οὐς ἐφόνευσ' εἴμ' ἀπώλεσαν* (pro *zai γὰρ ἀνοντις ἐφόνευσα zai ὀλεσα*). O, si sic omnes omnia corrigerent! Memorabilis est etiam ingeniosa ab omnibus fere recepta Billerbeckii emendatio in Tr. 615. *σῆμα — σφραγῖδος ἔσκει τῷδ' ἐπὸν μαθήσεται* (pro — *τῷδ' ἐπ' ὄμμα*